

ANNOTATIONES.

ANNOTATIO (1) pag. 14.

Designatus videtur a Possidio in Indiculo, cap. v, ubi inter opuscula Augustini contra Arianos Tractatum recenset, *de In principio erat Verbum*. Citatur quoque a Floro ad Hebr. i. Quanquam vero apud Lovanienses iste Sermo absque Augustini nomine, quod ipsi curarunt non dubiis tantummodo Sermonibus præfigendum, editus reperiatur, cum hac censura, *Videtur nonnullis Sermo consarcinatus et non totus esse D. Augustini*. Nobis tamen non licebat in dubiorum Sermonum classem ipsum rejicere: quippe cuius partes omnes optime cohaerere, quique Augustini doctrinam, disserendi methodum et usitatas eidem voces exhibere, si quis alias, deprehendebatur. Neque vero morari debuit stylus, hic, ut in extemporaneis Concionibus esse solet, aliquanto diffusior et inæqualis. Pertinet forte ad priores annos Augustini.

ANNOTATIO (2) pag. 33.

Tres qui subsequuntur in Joannis exordium Sermones, apud veteres libros inscribuntur habitu *in die Paschæ*. Ex iis haud dubie sunt, quos Possidius in Indiculo, cap. x, notat, *Per vigilias Paschæ Tractatus viginti*

tres. Ei namque tempori congruenter et quam opportune dicebatur de capite primo Evangelii Joannis, unde filios Dei se factos esse intelligerent recens baptizati, quod ipsis collatum beneficium hic, cap. iv et v, manifestius commendatur.

ANNOTATIO (3) pag. 66.

Metallicus, id est, metalli poenam subibit, ad secunda marmora, vel alia id genus damnabitur: uti observat Sirmondus. Effractores enim parietum, præsertim nocturnos, fustibus cæsos in metallum dari solitos, auctor est Ulpianus, L. II. D. De effractoribus et expilatoribus.

ANNOTATIO (4) pag. 133.

Carthaginense videlicet ac Milevitanum, quæ sunt epistolæ inter Augustinianas 175 et 176. Rescripta vero iisdem conciliis per Innocentium Romanum pontificem ineunte anno 417, data, locum inter ejusdem epistolas habent ordine 181 et 182.

ANNOTATIO (5) pag. 469.

De Sermonis hujus integritate dubitandi ansam præbet Florus (qui est Beda vulgatus) ad 1 Thess. iv, quando præmisso hocce titulo, *Ex Sermone de iisdem verbis Apostoli*, quo nonnisi fragmentum dari significatur, id nihilominus totum subjicit, quod hic habetur.

Auget vero dubitationem, cum ibidem post hunc ipsum Sermonem proxime adjungit subsequentis Sermonis, c. III, fragmentum in hac verba, *Item ex eodem Sermone.* *Non tantum ait ut non contristemini*, etc. Sic nimirum habetur in veteri codice Corbeiensi: ubi nunc tamen in Bedæ editis est, *Item ex Serm. II, de eadem lectione.* *Non tantum ait ut non contristemini*, etc.

ANNOTATIO (6) pag. 472.

In MSS. inscribitur, *De celebritate defunctorum atque resurrectione mortuorum*: qui titulus apprime convenit cum Sermonis exordio; sed hoc nescimus an vere sit Augustini. Suspicamur additum ab iis qui Sermonem in ista celebritate legendum instituerunt. Quippe si non fallit Florus in MS. Corbeiensi, altera pars hujusce Sermonis, quam ipse ad 1 Thess. iv refert, excerpta est ex eodem Sermone, ex quo Sermo superior.

ANNOTATIO (7) pag. 516.

Proscholum Ausonius Epigr. xxiii, in Professor *subdoctorem* vocat. Sed erat ille, non tam docendis pueris, quam iis ad auditorium introducendis praefectus, ut scilicet composite ad magistrum accederent. Locus ipsius ante velum, proscholum vocabatur. *Vela* quippe, ut dicit Augustinus in lib. I. Confession. cap. XIII, n. 22. *Pendebant liminibus grammaticarum scholarum.* Unde hic proscholum grammatico pagano christiana fide prestantem laudans, *Melior*, ait, *ad velum, quam in cathedra.*